



## PROOEMIUM LOGICES.



### §. I.

#### *De notione Logicae.*



Qui notionem Logicae ex graeco vocis etymo determinare conantur, Logicam alii fermocinandi, cogitandi vero artem alii salutant:

vox enim graeca λογος sermonem pariter & rationem latinis significat. Sed nec interpretationes istae ab usu loquendi, ex quo verae vocum significationes definiendae sunt, multum abhorrent: Logicae enim nomine illam philosophiae partem passim intelligunt, in qua cogitandi regulae systematice pertractantur. Logicam inde jure definiri constat, quod sit *disciplina seu scientia continens regulas rite & ordinate cogitandi.*

## §. 2.

*De objecto Logicae.*

**L**ogicam circa mentis humanae cogitationes ver-  
sari, easque, quatenus per certas regulas ad  
verum dirigantur, primarium Logicae objectum  
constituere, ex data Logicae definitione satis liquet;  
quoniam vero cum aliis quoque hominibus conver-  
samur, nostrasque cum illis cogitationes commu-  
nicare necesse est, quod absque signis fieri nequit:  
imo ad cogitationes ipsas rite ordinandas signorum  
usus, si non absolute necessarius, valde tamen op-  
portunus est: de cogitationum porro signis ceu ob-  
jecto secundo in Logica agendum est.

## §. 3.

*De partitione Logicae.*

**L**ogicam Peripateticoscholastici secundum tres, ut  
ajunt, mentis operationes in perceptivam, judi-  
cativam & discursivam partiebantur. Verum, prae-  
terquam quod in partibus hisce quaestiones solum  
metaphysicas, ad rem minime pertinentes, ac saepe  
inutiles pertractabant, partem Logicae praecipuam &  
vel maxime necessariam de methodo seu modo, quo  
verum, quod latet invenire, & inventum alios do-  
cere valeamus, intactam relinquebant. Quare alios  
notae melioris Logicos imitati Logicam in libros  
quatuor, ac librum porro quemlibet in duas partes  
distribuimus, in prima cujusvis libri parte de cogi-  
tationibus, de earum vero signis in altera dicturi:  
ac speciatim quidem in libro primo de ideis & vo-  
cibus, in altero de judicio & propositione, de ratio-  
cinio & argumentatione in tertio, & in quarto de-  
nique

nique de veri criteriis seu modo, quo cogitationibus nostris in veritatis tam indagazione, quam expositione uti debeamus, per ordinem disputabimus.

§. 4.

*Alia Logicae partitio.*

Recentiores aliqui Logicam bipartuntur solum, partemque ejus unam theoreticam & practicam inscribunt alteram. Re tamen melius pensata haud multum a nobis differre, ac eadem, quae nos in libris quatuor exponimus, in duas coarctare partes deprehenduntur.

§. 5.

*De utilitate Logicae.*

Rite & ordinate cogitare, ni fallor, idem est, ac ratione bene uti; quod si igitur, sicut ex dictis constat, Logicae regulis rite cogitare doceamur; hoc ipso manifestum est, Logicam ad excolendam rationem plurimum conferre, eaque rectum rationis usum insigniter perfici; unde philosophia quoque rationalis dici consuevit: ac si quis porro perpenderit, quam parum sine recto rationis usu in quocunque demum vitae genere aut statu beatum vivere cuiquam liceat; facile intelliget, summum esse Logicae per omnem vitam usum, utilitatemque.

§. 6.

*De necessitate Logicae.*

Logica, quam omnibus utilis, tam iis speciatim necessaria est, qui ad scientias sua aliquando studia conferre constituunt: qua enim, quae scio, ratione in solida rerum, causarumque cognitione, in qua

scientia confistit, proficere is poterit, qui cogitandi regulas ignorat? Unde Logica, quae Antiquis organum passim dicta est, scientiarum janua a Recentioribus salutatur.

§. 7.

*Sinistrum quorundam de Logica iudicium.*

Logices studium quidam non ipsi solum negligunt, sed & aliis id ipsum dissuadere non erubescunt contententes, hominem absque regularum cognitione per solum rationis lumen in cogitando satis apte dirigi: &, quo fidem dictis aliquam concilient, experientia constare asserunt, quod, qui Logicae nunquam studuere, ordinatius plerumque illis cogitent, qui in Logicae studio vitam consumserunt. Verum (sit, quod arguunt, esse tamen difficile probabitur) si Logica ideo negligenda est, quod, qui ejus regulis imbuti sunt, eisdem plures aut non utuntur, aut abutuntur etiam; quidni non omnes modo scientias, sed & ipsam quoque rationem esse aspernandam, eodem argumento concludatur? Sed & quid rite & ordinate cogitare aliud est, quam regulas in cogitando observare? nonne autem & regulas promptius observabit, qui illas distincte intelligit, quam qui illas aut ignorat plane, aut confuse solum novit? & quonam tandem modo regulas facilius quis addiscet? an, si eas in systemate collectas ex ordine doceatur? an vero, si illas ipse primum debeat colligere? Praesumptionis certe notam (ne durius quid dicam) non effugeret, qui plus, aut aequale etiam propria solertia in hisce praestiturum se confideret, quam tot viri praestantissimi, quorum mox praeclaros labores in condendo, perficiendoque Logices systemate laudabimus, a tot jam saeculis praestare valuerunt.

§. 8.

## §. 8.

*De ortu Logicae.*

Logicae originem seu ortum descripturi, ejus de-  
 nuo notionem, quam potest, accuratissime de-  
 terminandam esse duximus: certe enim ambiguum  
 & minus accurate definitum Logicae nomen fecit,  
 ut tanta inter Eruditos de ejus origine fuerit alterca-  
 tio. Est autem, Logica ex dictis §. 1. systema seu  
 scientia regulas cogitandi complectens; & istae qui-  
 dem regulae non sunt leges ab hominibus pro arbi-  
 trio institutae, sed ab ipso Auctore Deo positae sunt,  
 & in rerum inter se nexu, atque in earum ad  
 nos, organa scilicet, mentemque nostram relatione  
 comprehenduntur, verbo: leges sunt naturae seu  
 rationis. Verum ad leges tamen istas vel notandas  
 etiam, ne dicam, distincte perspiciendas solertia  
 opus est, qualem ad id mortalium paucissimi affe-  
 runt: unde distincta harum regularum cognitione  
 carere plurimos necesse fuisset, nisi perspicaciores  
 quidam regulas modo has, modo illas notassent, &  
 a variis notatas alii in summam collegissent, novis-  
 que a semet observatis auxissent, ac certo demum  
 ordine disposuissent ita, ut completum inde regu-  
 larum cogitandi systema (Logicam id esse, modo  
 dicebamus) fuerit constitutum. Ex his intelligitur,  
 Logicam non subito, sed paulatim & per intervalla  
 enatam esse. Eos nunc recensemus, quibus quasi  
 obstetricantibus cunas primum nacta est, quibusque  
 conducentibus ad perfectum adeo statum, in quo  
 eam nunc suspicimus, adolevit.

## §. 9.

*De primis Logicae Cultoribus, & an inter eos  
Adamus, aut Patriarchae antiquissimi?*

Primum Logicae cultorem fuisse ipsum Mortalium protoplastum Adamum, non pauci contendunt. Verum, licet Adamum insigni rerum naturalium notitia imbutum fuisse, vel ex eo solum luculenter pateat, quod nimirum Scriptura attestante convenientia quibuslibet nomina imposuerit, nec negari possit, eum usi rationis per nongentos & plures, quos vixit, annos excultae plurimum valuisse; quod tamen cogitandi regulas specialiter notaverit, easque in summam collectas Filiis, Nepotibusque suis tradiderit, nec speciem probabilitatis habet. Patriarchae pariter antiquissimi, ante diluvium pacendis gregibus & curis domesticis intenti, de colligendis, ac in ordinem disponendis regulis cogitandi solliciti fuisse non videntur, nec exacto demum dilavio, ubi multiplicari homines, urbesque condere coeperunt, condendis systematibus locus fuit: fundamento saltem caret contraria assertio. Ad Logices igitur systematicae culturam nec Adamus, nec Patriarchae pariter antiquissimi aliquid contulerunt.

## §. 10.

*An Moses? Salomon &c?*

Nec inter Logicae Cultores jure potiori referuntur Moses Dux Populi Israelitici, Salomonque Rex Israelis: & licet posterior speciatim super omnes sapientia ipso Scripturae testimonio magnificatus sit, ac in libro Ecclesiastes dicto genus quoddam di-

disputationis ab eo instituat, ac impiorum argutias solide refutet; inde tamen minus apte arguitur, eundem & cogitandi, disputandique praecepta sigillatim calluisse, & eorum systema quoddam adornasse. Idem de aliis quam plurimis, hisce seu antiquioribus, Abrahamo scilicet, Josepho &c, seu coaevis Gentis judaicae Primoribus nobis videtur censendum esse.

§. II.

*De Zenone Eleate, Socrate & Platone.*

Licet porro gentibus quibusque barbaris sui non defuerint sic dicti Sophi, rerum scilicet divinarum, humanarumque scrutatores, imo varias Philosophiae partes has apud Nationes inventas, excultasque fuisse, negari non possit; omnino tamen incertum est, an aliquod regularum logicarum systema in Gentium istarum scholis extiterit. Unde ne conjecturis immoremur, certa tenentes asserimus, prima systematis logici fundamenta a graecis jacta fuisse: ac inter eos quidem primus quandam Dialecticae speciem nobis reliquit Zeno Eleates: quamquam ejus Dialectica detestandam potius Sophisticam referat. His interim quisquiliis immorari tunc temporis operae pretium visum est Graecis.

Socrates equidem, ejusque discipulus Plato ceu inventores Logicae minime celebrantur; inde tamen minus argui potest, eos ad excolendum Logicae systema nihil contulisse: Socrates enim Sophistarum gentem suam circumvenientium fallacias intelligens, simulationem, fictionem, inductionemque adhibuit, ac per quaestiones & ironiam veritates inculcans novam, quae ejus adhuc nomine vocatur, metho-

dum induxit ad confutandam Sophistarum, qui ei propter ea graviter indignati sunt, mortemque intulerunt, inanem loquacitatem aptissimam. Methodum dialogisticam, quam a magistro acceperat, mira arte perfecit Plato, magisque, ac ille confueverat, systematice aliqua huc pertinentia, definitionem scilicet, divisionem, resolutionem, & rationationem exposuit.

### §. 12.

#### De Pythagora.

Circa idem fere tempus, quo in Graecia Socrates, Platoque floruerunt, in Italia Pythagoras coepit celebrari. Ejus de Logica meritum quidam, contradicentibus tamen aliis, nimium quantum extollunt. Non abs re dici nobis videtur, quod ait cl. Feder §. 1. *hist. log.* tempus, quo Pythagoras philosophabatur, excolendo Logicae systemati minus adhuc aptum extitisse, ejusque discipulis *ipse dixit* impedimento fuisse, quo minus Logicae regulas fuerint assecuti.

### §. 13.

#### De Aristotele.

Quidquid praeter Philosophos modo laudatos Sectae, quae ex eorum disciplina statim prodierunt, megarica scilicet & italica ad Logicae studium contulisse dicantur; nondum tamen regulae logicae in certum quendam ordinem digestae erant. Qui primo istud conatus est perficere, fuit Aristoteles ex Stagyra Thraciae urbe oriundus, unde & Stagyrites dicitur, insignis Platonis discipulus, vir ingenio




genio plane sagaci ac systematico praeditus. Hic plures conscripsit libros, in quibus argumenta ad Logicam pertinentia complexus est ita, ut libri isti omnes systema quoddam Logicae praecedentibus completius exhibeant: sic libro de Categoriis doctrinam de decem praedicamentis, libro de Interpretatione illam de enuntiationibus, libris duobus Analyticorum priorum de syllogismo, totidem Analyticorum posteriorum de demonstratione, octo libris Topicorum de syllogismo probabili, & Elenchorum sophisticorum libro de sophismatum variis generibus exposuit. Istos tamen libros Aristoteles nec ordine illo, quo postmodum ab Aristotelicis collocati sunt, nec eo etiam fine scripsisse censendus est, ut disciplinam simul unam constituerent. Andronicus potissimum hunc eis ordinem tribuisse, nomenque Organi eisdem imposuisse videtur.

§. 14.

*De falsis librorum Aristotelis.*

Doctrina Aristotelis communi statim applausu ubique fere recepta est: interim praeter alia, quae a recentioribus Philosophis in libris aristotelicis capi solent, summa in iis & saepe affectata elucet obscuritas: ex parte tamen, quae in Aristotele capiuntur, variis librorum Aristotelis corruptionibus, & ineptis additionibus, quae ab Interpretibus, Suppletoribus, & Commentariis factae sunt, jure adscribuntur. Plurimis namque falsis & interpolationibus fuere obnoxii codices a Stagyraco Philosopho conscripti; etenim, ut enarrat Strabo, Aristoteles, qui multos libros & propria manu conscripserat, & variorum quoque Philosophorum volumina col-



legerat, Bibliothecam suam discipulo suo Theophrasto tradidit, quem in schola habuit successorem. Theophrastus deinde suos pariter, & ab Aristotele acceptos libros testamento legavit Neleo Scepsio, qui fuerat illius, Aristotelisque auditor. Neleus autem Bibliothecam hanc in oppidum Scepsin transferri curavit, eamque haeredibus illiteratis moriens reliquit, qui, cum attalicorum, seu, ut alii dicunt, pergamenorum Regum, ad quos urbs Scepsis pertinebat, in libris undequaque conquirendis studium intellexissent, adquisitos haereditate libros seu pretiosos thesauros, ne invenirentur & auferrentur, in terram defoderunt; ubi centum triginta annos delituere sepulti: tandem ab eorum successoribus eruti sunt, humore & blattis vitati, ac Apelliconi Tejo librorum amatori, minus tamen erudito, magno pretio sunt venditi, qui, cum libros hosce describendos curasset, quae deerant, imperite supplevit, quod postea & alii multi fecerunt, qui ex ingenio potius, quam ex Aristotelis sententiis, quas post tantum temporis intervallum vix sciebant, obscura loca emendarunt; denique post Appelliconis mortem Bibliotheca illius a Lucio Sylla Romam deportata est; ubi grammaticus quidam nomine Tyrannio Aristotelicorum librorum usum sibi permitti petiit, & eos cum Andronico Rhodio descripsit, interpolavit, & publicae demum lucis fecit, tantisque infuscavit ineptiis, ut quae, qualisve Aristotelis fuerit sententia, in plurimis nos lateat, recteque nemo dixerit, Aristotelem in Aristotele requirendum esse, nec inventiendum. His accessere tandem variae, multumque ineptae interpretationes & paraphrasae ab Arabibus factae, de quibus infra. Quis autem ista omnia ad summam,

mam, quam in libris Aristotelicis queruntur, obscuritatem contulisse, non intelligit?

§. 15.

*De Logica Epicureorum.*

Post Aristotelem magnum sumit incrementum Philosophia, aliaeque mox excitatae sunt sectae, quae pariter Logices studium non neglexerunt. Ex his praecipue caeteris mentione digna videntur secta Epicureorum, cujus primus institutor fuit Epicurus patria Atheniensis ex oppido Gargetti parentibus pauperibus natus. Hunc quidem in arte logica seu dialectica nudum & inermem fuisse, dicit Cicero; at cum Orator Stoicorum sectae adhaereret, mirum non est, hanc calumniam de Epicuro a Cicerone proferri. Contemnebat nimirum Epicurus Stoicorum & Peripateticorum Dialecticam & Sophisticam, utpote quae contentionibus agitandis aptiores essent, quam inquirendae veritati; at artem logicocriticam impense coluit, eamque Canonicam adpellavit, cujus valde breve compendium fervavit Laërtius, illudque deinde pluribus exposuit Gassendus.

Canones Epicuri videri possunt apud Vernejum & Antonium Genuensem. Nos eosdem hic non recensemus; quandoquidem nonnulli eorum forte in ipso Logicae progressu occurrent.

§. 16.

*De Logica Stoicorum.*

Ad propagandum Logicae studium non parum contulit secta Stoicorum, cujus primus Auctor est Zeno Zitticus, qui, cum Cratetem, Polemonem, alios-

aliosque Philosophos audivisset, varia horum systemata in unum quasi corpus conflavit, Sophisticen antea jam in Graecia usitatam & spinosum disputandi genus quam maxime excoluit; quod deinde imitati sunt ejus discipuli, & prae reliquis Chrysippus acutis disputationibus celeberrimus, qui trecentos undecim libros logicos conscripsit adeo Graeciae tunc temporis sophisticata amanti acceptos, ut, si apud Deos usus Dialecticae foret, eos non alia, ac illa Chrysippi usuros esse, assererent. Et certe multa sunt, quae de idearum inter se comparatione, de vocum proprietatibus, de definitionibus & divisionibus, de veri criteriis, de syllogismis & fallaciis Stoici subtiliter tradidere, eorumque Philosophia magnos progressus fecit adeo, ut Athenis, Romae, Rhodi, aliisque celeberrimis in locis multos per annos tradita fuerit, imo plerisque legum romanarum conditores sectae Stoicae Patronos fuisse, ex eisdem legibus haud obscure colligitur.

§. 17.

*De progressu Logicae ante Christum  
natum.*

**M**ultiplicari exinde systemata, ac in sectas dividi Philosophi coeperunt, quarum aliquae aliis adversae mutuis se invicem diceris, & cavillationibus exagitarunt. Sic Epicureis Stoici, Sceptici Dogmaticis opponebantur, aliisque aliae invadebant sectae, auctoritatem magis quam rationem securae. Inde sanum Logicae studium negligi necesse fuit. Et certe, si Ciceronem (Topicam enim ejus inter opera logica quidam recensent) exceperis, inter

Ro-

Romanos ante Christum vix ullum reperire est, qui ad excolendum Logicae systema scriptis aliquid contulerit.

§. 18.

*De Progressu Logicae post Christum natum.*

Nec nato demum Christo Domino ac plantata nuper Religione Christiana Logicae studium magis fuisse excultum videtur: primi enim Christiani coelesti Salvatoris doctrina imbuti, doctrinas Philosophorum non modo non curabant, sed ceu cane peiores & angue perhorrescebant; dum philosophi ex Gentilitate ad Christiana Sacra transcentes (plures numerantur tales) Philosophiam ceu Christiani etiam colere non destiterunt; atamen, cum unumquodque Philosophorum systema pluribus scateret erroribus intelligerent, nullius doctrinae ex integro adhaeserunt, sed ex variis varia collegerunt, prout nimirum vel ad convertendos Gentiles, vel ad tuendam religionis Christianae veritatem, vel ad confutandos denique haereticorum errores conducere illa magis, existimabant. Inde eclectica philosophandi ratio, quam ex gentilibus jamjam Philosophis introducere quidam, Potamon scilicet & Ammonius Alexandrinus conati fuerant, per Patres Ecclesiae magis promotam est. Non defuere tamen vel inter Christianos etiam, qui Platonis praecipue doctrinam in pluribus sectati sunt, uti Hermagoras, Origenes, Tertullianus &c. Prae reliquis vero praeclarissimi hujus Philosophi dogmata calluit & excoluit sanctus Augustinus, qui ea ad propugnandam Ecclesiae veritatem

ritatem feliciter adhibuit : & inter priorum quatuor Saeculorum scriptores christianos vix non unus est, qui Logicam scriptis illustravit.

§. 19.

*De Progressu Logicae Syncreticae.*

**N**on Christiani solum, sed & Gentiles eclecticam philosophandi viam inierunt, & ex omnium systematibus, quod ipsis magis arridebat, elegerunt. Et Logicam quidem quod attinet, definiendi, dividendique artem ex Socrate & Platone, artem hermeneuticam ex Aristotele & Stoicis, ex Aristotele pariter, Stoicis & Sophistis artem argumentandi decerpserunt. Syncretica isthaec seu ex pluribus collecta Logica circa quatuor aut quinque prima Ecclesiae saecula tam inter Christianos quam Gentiles floruit, eamque multi philosophi variis in locis tradiderunt.

§. 20.

*Qualis fuerit Logica Antiquorum  
Syncretica.*

**N**on tamen Logica ista Antiquorum, Gentilium praecipue syncretica talis fuit, qualis Recentiorum est eclectica. Erat enim vere adhuc sectaria, atque in omnibus fere auctoritatem unice sequebantur. Sed & syncreticus iste philosophandi modus hoc orbi litterato damnum intulit, ut verus Antiquorum sensus in multis nos lateat; doctrinas enim Philosophorum, ut eas inter se conciliarent, plane confuderunt Syncretistae.

§. 21.

## §. 21.

*Logicae studium in Occidente neglectum.*

Syncreticus quidem iste philosophandi modus in Oriente multum fuit propagatus. In Occidente autem circa saeculum scilicet septimum & octavum, cum gentium transmigrationes, continuaque bella litteris omnibus obicem ponerent, studium Philosophiae vix non omnino evanuit adeo, ut grassa per totam Europam ignorantia dominaretur. Interim huc illucque quaedam adhuc Logicae platonicoaristotelicae vestigia in monasteriis potissimum reperimus: ex quibus colligi potest, Logicam, non quidem genuinam illam, in Occidente omnino incognitam non fuisse. Artis vero criticae studium illa aetate omnino neglectum fuisse, vel ex eo satis constat, quod spuria quaeque pro veris, fabulae pro historiis, facta omnem fidem superantia ceu certa sunt habita: unde tot imposturae medio huic aevo factae sunt, de quibus nostri temporis Theologi & Historici satis quidem acerbè, jure tamen conqueruntur.

## §. 22.

*De Logica Arabum.*

Circa finem saeculi octavi & initium noni Arabes, qui antea sub duce suo Mahomete non paucas regiones ferro flammisque devastaverant, Logicam stoicoaristotelicam multum excoluerunt; verum, cum gens ista barbara graecae linguae satis gnara non esset, nec scripta Antiquorum, Aristotelis praecipue genuina haberentur, ut quae ab

antiquioribus jam in multis corrupta, interpolata ac confusa fuisse supra §§. 14. & 20. diximus; factum est, ut Philosophorum illorum doctrinas, sensaque minime assequerentur; unde, quas quisque sibi fingebat, quaestiones inutiles Logicae inferebat, easque ceu partem Logicae Aristotelicae venditabat; quae demum quaestiones inanes (metaphysicas vocant) in tantum paulatim cumulum excreverunt, ut regulae logicae vel omnino negligerentur, vel earum aliquae superficialiter tantum attingerentur. Criticum tandem studium, ac si ad Logicam plane non pertineret, omnino fuit praetermissum.

§. 23.

*De Logica scholastica.*

Ut Logicam hanc suam (si tamen hoc nomine vocare liceat inanem subtilium quaestionum farraginem) Arabes promoverent magis, scholas, in quibus traderetur, erexerunt. Sed & Logicam istam Arabum aliae mox nationes avidissime receperunt. Ex Africa enim in Europam, & primo quidem in Hispaniam, exinde in Galliam & denique in Germaniam translata in Scholis ubique erectis tradi coepit; unde scholastica, & quia Aristoteli porro tribuebatur, aristotelico seu peripateticoscholastica dicta fuit.

§. 24.

*De praecipuis Logicae scholasticae Cultoribus.*

Logicam peripateticoscholasticam, utur tricis irretitam, excoluere tamen viri complures &  
eru-



eruditione & sanctitate conspicui, uti Petrus Abaelardus, qui tamen ob sophisticam disputandi methodum, qua etiam mysteria fidei perferutari conabatur, a sancto Bernardo multum fuit reprehensus. Petrus Lombardus, qui, quod sanctorum Patrum in materia theologica sententias collegit, Magister Sententiarum dicitur. Alexander Halensis Franciscanus, Albertus magnus ex ordine Praedicatorum S. Dominici, nec non divus Thomas ejusdem ordinis, qui, quod singularem Philosophiae ac Theologiae scholasticae operam navavit, Scholasticorum parens adpellatur, eoque ceu Antesignano suo gloriantur Thomistae, Joannes Duns ex Scotia oriundus Scotistarum protoparens, & Joannes Ochamus Nominalium Choryphaeus; qui cum multis aliis dialecticum artificium ad tradendas veritates theologicas, philosophicas & morales adhibuerunt.

§. 25.

*De progressu Logicae scholasticae.*

Haec itaque philosophia aristotelica (quanquam fortenullius minus sit, quam Aristotelis) in omnibus ordinibus magni habita, ac in omnibus scholis depraedicata a saeculo duodecimo ad nostrum usque aevum primas ubique obtinuit adeo, ut ceu unica scientiarum omnium clavis ab omnibus respiceretur; donec varii viri cordati in scholasticam hanc philosophandi methodum insurrexerunt, pluraque in ea carpenda litterato orbi patefecerunt.

§. 26.

*Quae carpantur in Philosophia scholastica.*

Quae autem in scholastica illa philosophia a variis fuerunt reprehensa, potissimum sunt sequentia.

B

imo.

1<sup>mo</sup>. Quod rejecta philosophandi libertate nimia corruptis Aristotelis libris tribuatur auctoritas, nimiaque aliis scholarum Principibus habeatur reverentia, adeo, ut nunc haec, nunc alia Secta a suorum sententia ne latum quidem unguem recedere aufit. 2<sup>do</sup>. Quod voces cum cogitationibus fuerint confusae, & multae pro vocibus regulae praescriptae fuerint, pro formandis vero cogitationibus Antiquorum canones vel omnino neglecti, vel obiter tantum pertractati fuerint: quod potissimum in Logica & Metaphysica carpendum erat. 3<sup>tio</sup>. Quod in ea plurimae nullius frangi quaestiones acriter adeo fuerint ventilatae, quasi ex earum solutione totius vitae beatitudo dependeret. 4<sup>to</sup>. Quod variae ejusmodi quaestiones philosophicae non tam rationibus, quam potius Conciliorum, Pontificum, aut SS. PP. auctoritate fuerint stabilitae, & contrariae sententiae ceu suspectae, haeresive proximae fuerint explosae; cum tamen Concilia de quaestionibus scholasticis parum curassent, nec circa eas quidquam definissent. 5<sup>to</sup>. Quod fines scientiarum fuerint confusi, unaque alteri fuerit immixta &c. Haec aliaque quam plurima in scholasticorum Philosophia merito reprehendenda putarunt viri praeclarissimi: nihilque scholasticis in acceptis refert vir eruditissimus Vernejus; attamen negari non potest, artem syllogisticam egregie per eos fuisse excultam,

§. 27.

*De primis Philosophiae ac Logicae speciatim  
Emendatoribus.*

Qui primum Philosophiae ac Logicae speciatim & Metaphysicae studium emendare conati sunt, variarum sunt nationum; atque ad hunc finem feliciter

obtinendum non unam elegere viam. Alii enim veterum Graecorum sententias ac systemata resciscitare tentarunt: sic Franciscus Georgius, & ante eum Joannes Picus de Mirandula Pythagoricam, Plethon, Bessarion Cardinalis & Marsilius Ficinus Platoniam, Justus Lipsius & Casparus Scioppius Stoicam, Bernardinus Telescius Parmenidis Eleatae Philosophiam instaurare conati sunt. At eorum labor pene irritus fuit.

§. 28.

*Gassendus.*

Majorem vero prae reliquis, qui veterum systemata renovarunt, adprobationem invenit Petrus Gassendus Presbyter & Praepositus Ecclesiae Dunienfis in Gallia & Reginus in academia parisiensi matheos Professor, qui doctrinam Democriti & Epicuri pulcherrime illustravit, & multis in locis, uti par erat, emendavit: in hoc porro de Logica bene est meritus, quod Aristotelis errores speciali libro detexerit, Logicae epicureae compendium pluribus exposuerit, & quomodo ejus canones sint usurpandi, suis commentariis demonstraverit. Verum jam ante Gassendum Petrus Ramus aristotelicam Logicam expellere, & novam introducere conatus est; ast tot tantosque expertus est adversarios, ut vita privatus, ejusque cadaver in sequanam injectum fuerit: hic philosophus, licet in multis sit reprehendendus, aliis tamen stimulos addidit, ut eclecticam in philosophando viam molirentur.

## §. 29.

*Verulamius.*

**E**x quibus prae caeteris mentione dignus est Franciscus Baco, Baro de Verulamio vicecomes S. Albani: cui, ut ait Antonius Genuensis *prooemio artis logicocriticae*, instauratae per Europam literae graviore magna ex parte debentur. Is anno 1620 edidit novum organum, quo nomine non secus ac Aristoteles Logicam insignivit, plane tamen a vulgaribus Aristotelicorum Logicis diversum: nam in dubium vocari praecipit principia quaedam & praejudicia communiter recepta, quae mentis idola appellat, eaque in quatuor classes distribuit; prima vocat idola tribus, quae sunt praejudicia toti generi humano communia: altera idola specus seu praejudicia naturae singularis: tertia idola fori, per quae notat praejudicia ex commercio cum plebe orta: quarta demum idola theatri adpellat, quae juxta eum sunt praejudicatae opiniones ex philosophorum doctrinis & perverfis demonstrationum legibus originem ducentes. Deinde pro inquirenda veritate non vult adhiberi syllogismum, sed inductionem analiticam seu socraticam, idque propterea, quod inductio singularibus ideis constet, quas omnes intelligunt, syllogismus autem universalibus, quas soli philosophi internoscunt. De hoc organo quid sentiendum, ex Vernejo *de re logica lib. 1. cap. 6.* hic addimus, qui sequentia de eo dicit: *bona & utilia quaedam nos docuit Verulamius in illo opere; plura docuisset, & multo pluribus inservire posset, nisi dedita opera idipsum, quod enuntiat,*

*inso-*

*insolitis terminis & peculiari dicendi genere, tum etiam partitionibus adfectatis & parum necessariis obscuraret, &c. Quare sine interprete nequit intel- ligi.*

§. 30.

*Cartesius.*

**I**d, in quo fere totus est Verulamius, quam maxime quoque monuit Renatus des Cartes seu Cartesius, nimirum ut praejudicia omnia, quantum fieri potest, deponantur. Vir iste, qui Bruckero teste *instit. Hist. phil. Per. III. part. II. L. I. cap. VII.* §. 1. inter maxima orbis philosophici ingenia numerandus, Hagae Turonum natus est anno 1561, & peragratis pluribus regionibus philosophiae tandem emendandae se totum dedit. Logicam integram non edidit, scripsit tamen dissertationem de methodo recte utendi ratione, & veritatem in scientiis investigandi, quae, ut ait Antonius Genuensis, egregia multa ad artem logicocriticam pertinentia continet. Ei quoque adscribitur posthuma quaedam & imperfecta tractatio de mentis directione, quae gallice & latine edita est. Quae autem in philosophandi arte Cartesio in acceptis referunt Recentiores, sunt sequentia: Primum est libertas philosophandi: hic enim prae reliquis quam validissime omne tyrannicum auctoritatis humanae in philosophia jugum excussit. Alterum est ars dubitandi: universalem enim dubitationem philosophis praescripsit, cujus ope praejudicia populi, magistrorum aut sensuum pernoscere & discuti possent. Tertium est Critica & selectus idearum, nec non omissio verborum il-

lorum, quibus nulla significandi vis subjecta est.

§. 31.

*Menda Cartesii.*

Plura tamen sunt, quae in Cartesio reprehenduntur, nosque sequentia ex Vernejo memoramus. 1. Absolutam Logicam non dedit, sed specimen solum aliquod. 2. Immodico condendae sectae studio abreptus innovavit multa in sententiis, imo & in verbis, quae arbitrato suo definivit saepe non sine obscuritate: cumque perpetuo auctor videri cupiat, saepissime veterum, recentiorumque philosophorum cogitata non indicatis fontibus obtrudit lectori. 3. In quibusdam sibi non constat; nam, tametsi evidentia principia adfectet, ea tamen interdum ratiocinationibus, sive, ut ipse vocat, demonstrationibus admiscet, quae non modo evidentia non sunt, sed vix probabilia videntur. 4. Nimium tribuit menti humanae, a qua res omnes arcanas referari posse credit. 5. Hypotheses generales ad summum possibiles, minime verosimiles, nullisque rationibus firmatas introducit, eisque frequenter inaedificat. Haec sunt, quae in Cartesio reprehendit Vernejus; ista tamen vitia ingentibus virtutibus redimere eum dicit.

§. 32.

*Arts Cogitandi.*

Post Cartesium ab ipsis ejus discipulis Logica magnum incrementum coepit, & ab iis ars critica multum exulta fuit, sicque multae emendatio-

catiores Logicae prodierunt, inter quas eminet  
 ars cogitandi. Quis hujus artis sit auctor, val-  
 de dubium est: alii Arnaldo, alii pluribus ex Re-  
 gio Portu doctoribus illam adtribuunt: edita est  
 haec ars primo gallice, deinde vero ob utilitatem  
 in varias linguas versa est; plura sunt hac in arte  
 utilia scitu & jucundissima; stylus ejus ab omni  
 pedantismo purgatus: interim tamen sunt quo-  
 que varia, quae in ea reprehenduntur. Displicent  
 praeter alia nobis exempla quaedam huc illucve ex  
 mathesi addita, quae tyronibus impervia sunt.

§. 33.

*Malebranchius.*

**M**alebranchius, qui Cartesii placita pariter se-  
 clatus est, de inquirenda veritate edidit libros  
 sex, in quibus errores plurimos detegit, varia-  
 que praejudicia ostendit deponenda: ast plura  
 sunt, quae in libris hisce reprehenduntur, po-  
 tissimum autem, quod, cum sensus nimium de-  
 primant, ad scepticismum inducere videantur,  
 & varia contineant Tyronibus intellectu difficilia.

§. 34.

*Purchotius.*

**H**isce addendus est Cl. Edmundus Purchotius  
 in universitate parisiensi Rector & Professor  
 philosophiae emeritus, qui institutiones philoso-  
 phicas ad faciliorem veterum & recentiorum phi-  
 losophorum lectionem comparatas in lucem edi-  
 dit, in quibus Cartesii placita saepius sectatur.

## §. 35.

*Quid ad Logicae emendationem contulerint Itali?*

Quos modo recensuimus Logicae emendatores, ex Gallia potissimum prognati sunt: sed nec Itali hic defuerunt, & ex illis celebriores aut magis saltem noti sunt, Antonius Genuensis in Regia Neapolitana academia philosophiae Professor: artem hic logicocriticam libris quinque complexus est, in quibus multa tradit ad veritatem, seu inveniendam seu commonstrandam valde accommoda. Cl. D. Aloysius Vernejus Archidiaconus Eborensis praeter libros quinque de re logica scripsit adparatum ad Philosophiam & Theologiam, in quo historiam Philosophiae & Theologiae breviter quidem, at clare & valde erudite pertractat. His V. P. F. Fortunatum a Brixia Ord. Min. accensemus, qui in erudita dissertatione de qualitatibus corporum sensibilibus inania scholasticorum somnia opportune detegit, promteque refutat, multaque sensationes concernentia, modum scilicet, quo illae in nobis fiant, quidque ad rerum cognitionem conferant, apte exponit.

## §. 36.

*De emendatione studiorum in Germania.*

In Germania Protestantes, cum per philosophiam scholasticam magis inepte saepius, quam utiliter infestarentur, scholasticum jugum excutere, omnemque pedantismum abdicare, Veterum ac Recentiorum opera philosophica pervolvere, novam-



namque in philosophando methodum moliri coeperunt. Inter alios tamen de re logica bene meriti, ac meliorem ei formam procurare conati sunt Cl. a Tscirnhausen, Thomafius, Leibnitius, qui vel iis solum, quae de ideis docuit, eminentiorem inter Logicae Emendatores locum sibi promeruit. Wolffius: hic logicam methodo mathematica pertractavit, eamque a scholasticorum tricis purgare curavit: inter alia ejus opera brevis, quem de viribus humani intellectus germanice exaravit, tractatus commendari meretur.

### §. 37.

#### *Prima Catholicorum in germania pro emendatione studiorum tentamina,*

Interim cum emendatio studiorum per Catholicos exteros, Gallos scilicet Italosque coepta, per Protestantes in germania multum jam provecta erat; Catholici germani in Philosophia peripateticoscholastica fere omnes instituti, scholarum tricas, quaestiones, dico, inanes, abstractas, imaginarias mordicus propugnare, omnique studiorum emendationi totis viribus se opponere perexerunt. Donec praeter alios varii ex ordine praesertim S. Benedicti viri excusso praejudiciorum jugo, faniora Philosophiae recentioris dogmata, ac methodum docendi aptiorem variis in Academiis patefacere ac introducere tentarunt: horum quidem conatibus laudabilissimis summopere primum resistere Regulares quidam, qui jus quasi monopolicum in cathedras germaniae sibi arrogabant, nullumque non moverunt lapidem, quo, ne praevalerent illi, praepedirent. At his tamen non obstantibus Phi-



loſophia ſanior in multis germaniae Univerſitati-  
bus, Salisburgenſi ſcilicet, Erfordienſi ac Fuldenſi  
illorum opera coepit triumphare.

§. 38.

*Emendatio ſtudiorum per ſummos Impe-  
rantes promotā.*

**E**mendatio demum ſtudiorum per Summos Im-  
perantes mirifice promotā fuit. Sic jam plu-  
ribus abhinc annis Auguſtiſſima Romanorum Im-  
peratrix glorioſiſſime regnans Thereſia praecep-  
pit, ut in ditionibus ſuis haereditariis miſſis ina-  
nibus ſcolarum quaefſtionibus Philoſophia ſanior  
juxta Recentiorum ſyſtemata traderetur. Cujus  
exemplum praeclariſſimum exinde ſecuti ſunt non-  
nulli ex Imperii Principibus. Idquod animos demum  
viris compluribus addidit, ut Logicas praeſcipue  
ab omnibus quaefſtionibus vanis & inutilibus  
purgatas in lucem darent. Eorum hic ſolum  
mentionem facimus, quorum ſcriptis hic & nunc  
in adornando hoc opere uſi ſumus, ſuntque cl.  
Feder Profeſſor Philoſoph. in Univerſ. Goettin-  
genſi, Joannes Georgius Ferber, P. Dominicus  
Beck Philoſophiae in celeberrima ſalis-  
burgenſium Univerſitate  
Profeſſor

